382

RESPONSUM SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS, DATUM INTERNUNCIIS Civitatis Gedanensis in Comitijs Warsovien. in publico senatus Regni Consessu, cum reciperetur civitas Gedanen. in gratiam Regiæ Maiestatis, et confirmarentur Acta Commissionis Gedanen. per Rm. Dnum. Franciscum Krasinski, Regni Poloniæ Procancellarium.

Sacra Regia Maiestas, Dominus noster Clementissimus ea omnia, quæ nomine Civitatis Gedanensis apud S. R. Mtem. in deprecanda culpa vestra, gratiaque Maiestatis Regiæ consequenda, egistis, quomodo Mtas. eius ex clementia, benignitateque sua Civitati donanda concedendaque putavit, ea nunc vobis declarare et significare jussit.

Gravibus imprimis adducta causis et rationibus legatos et Commissarios in terras Pomeraniæ nominatim verò in Civitatem Gedanensem suam, de Consilio atque unanimi Consensu omnium senatorum Regni, et decreto Comitiorum publico ablegaverat, ut ordinum et res Civitatis illius perturbatas, iuraque et libertates, factionibus ac licentia quorundam oppressas componerent, autoresque perquirerent, excessorum paulo ante a Civitate Gedanensi legatorum ac Commissariorum S. R. Mtis., ipsamque Civitatem

tot